

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 83. (Neovidensis 1807. Nro. 82.)

*Colloquium Politicum  
De inconstantia Fortunæ hujus Mundi.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 24. Octob. (Neovid. 10 Oct. 1807.)

Sententia:

Nemo ante mortem beatus.

**H**omini a Creatore insitus est stimulus, eum ad felicitatem ducens, qui absque humano auxilio præsto est, & tamdiu est ultimum fundamentum actionum humanarum, quamdiu nihil eorum suscipit, quæ felicitati suæ noxia forent, & cui illa contrarias actiones ponere non potest, licet in delectu mediorum, quibus ille stimulo huic satisfacere cupit, errare possit. Tunc quoque, dum quidpiam, quod felicitati suæ certo nocivum est, suscipit, is ejus scopus est, ut eandem promoveat aut saltem ei contrarias actiones non opponat, in hoc statu positus, aut errat, aut in tali dubio constitutus est, ut eligere debeat, id quæ eligit, juxta suam considerationem aut optimum, aut minus malum.

Sed Stimulus iste ad felicitatem adeo inconstans est in homine, ut eam adeptamprimo vili pendat, mox contemnat, novusque Stimulus alius felicitatis in homine excitetur.

Hoc modo Anno 1768 Florentiæ celebris John Tobes ex nimia felicitate vitæ suæ finem imposuit. Affluebat hic divitiis, optima gaudebat valetudine, excellebat corporis forma, cognitione multarum rerum ornatus, maximi ab omnibus æstimatus. In consortio quodam de tædio vitæ humanæ sermonem miscens, sic locutus traditur: Quomodo inquit homo contentus vivere posset? cum omni die mane surgere, se induere, deinde jentaculum sumere, aliquid laborare, tum invisere amicos, & prandio assidere, finito hoc vehi, aut in consortium hominum ire; Vesperti rursum comedere, & bibere; demum se exuere, & dormire debeat. — Hic inquit est quotidianus vitæ meæ cursus, & ordo. Sed molestissime fero, ait idem, trinam per Hebdomadem barbæ rasionem. Non est profecto operæ pretium, ut homo ultro vivat, hoc dicto, extracta Pistoleta præsentibus omnibus in Societate, cui interfuit, se trajecit.

Eodem modo respondit magni nominis Comes Saxonix vice quadam in sermone non sine assentatione commemorantibus ejus magna gesta, fortunam, æstimationem omnium de se conceptam, dicens: — meus servus a cubiculis optime scit, quam magnus, felixque, sed & quam miser sim, dum dormitum eo.

Plautus magnus ille Comicus felicitatem hujus mundi in omni statu quæsiuit. Primo enim militiæ nomen dedit, deinde fortunam suam in mari periclitari voluit; tardius artem Pistoriam, post hanc Sartoriam didicit, deinde

Hoc modo Anno 1768 Florentiæ celebris John Tobes ex nimia felicitate vitæ suæ finem imposuit. Affluebat hic divitiis, optima gaudebat valetudine, excellebat corporis forma, cognitione multarum rerum ornatus, maximi ab omnibus æstimatus. In consortio quodam de tædio vitæ humanæ sermonem miscens, sic locutus traditur: Quomodo inquit homo contentus vivere posset? cum omni die mane surgere, se induere, deinde jentaculum sumere, aliquid laborare, tum invisere amicos, & prandio assidere, finito hoc vehi, aut in consortium hominum ire; Vesperti rursum comedere, & bibere; demum se exuere, & dormire debeat. — Hic inquit est quotidianus vitæ meæ cursus, & ordo. Sed molestissime fero, ait idem, trinam per Hebdomadem barbæ rasionem. Non est profecto operæ pretium, ut homo ultro vivat, hoc dicto, extracta Pistoleta præsentibus omnibus in Societate, cui interfuit, se trajecit.

Eodem modo respondit magni nominis Comes Saxonix vice quadam in sermone non sine assentatione commemorantibus ejus magna gesta, fortunam, æstimationem omnium de se conceptam, dicens: — meus servus a cubiculis optime scit, quam magnus, felixque, sed & quam miser sim, dum dormitum eo.

Plautus magnus ille Comicus felicitatem hujus mundi in omni statu quæsiuit. Primo enim militiæ nomen dedit, deinde fortunam suam in mari periclitari voluit; tardius artem Pistoriam, post hanc Sartoriam didicit, deinde

Mercator factus. demum consensu Parnasso,  
Comicus factus. Interrogatus in quo statu  
felicissimus, & contentissimus fuisset, repo-  
suit: — scitote, nullum statum esse, qui mu-  
tationi obnoxius non foret, nullas dignitates  
sine periculo, nullas divitias sine labore, &  
nullam felicitatem tam constantem, cujus tæ-  
dio homo non caperetur. Nullum certe gau-  
dium est tam durabile, & amœnum, quod  
non lapsu temporis tædium, & nauseam  
pariat. Ipse comicus Spiritus ejus incostan-  
tiæ Criticæ succumbere debuit.

Varro refert de eo, Musas ab eo puri-  
tatem Latini Sermonis mutuo sumere debuisse,  
si latine loqui voluissent. Ast a Scrip-  
toribus sub Augusto magnæ negligentiae insi-  
mulatur, malus in eligenda materia comica  
delectus, humi serpens res comica in 20. ejus  
comœdiis, quæ adhuc existunt, ei objicitur.

Interna solum felicitas est constans; illa  
vero, quæ externis rebus conservari debet,  
multo & constanti alimento indiget, quod  
quamprimum satiat, illico nauseam parit.  
Hinc sæpe felicior est Agricola, aratrum se-  
quens, quam Rex Throno insidens. Natura  
dona sua distribuit pro ratione necessitatis.  
Labore defesso magis sapit Solanum Tuber-  
osum: quam Helluoni Pasteta. Sola posses-  
sio divitiarum ad internam felicitatem nostram  
nihil confert, sola enim ejus possessio nos  
interne infelices reddere potest. Multi bonæ  
valetudinis, & puræ conscientiae pauperes sa-  
pidius, & quietius dormiunt, quam Cræsus

cum suo immenso thesauro. Et quid externa bona? homo nudus nascitur, nudus imponitur tumbæ. Domus, Horti, Palatia, optimi saporis cibi, mollis & pretiosa supellex, generosi equi, Dominia vasta, cistæ auro, argento, obligationibus, aliisque inscriptionibus refertæ, Ephemerides, Comædiæ, hæc omnia relinquenda erunt, nihil horum sepulcro inferet homo. Nemo ante mortem beatus.

Moderno tempore externa felicitas quaeritur, aut melior status Ephemeridum, quid vero in his legitur? —

*Londino 20. Septemb.* Sequentes duæ relationes die 16. sunt hic publicatæ:

Ex Collegio rei navalis 16. Sept. Lord Mulgrave certiore reddit Lord Majorem, Centurionem Collier cum literis Summi Ducis Classis (Admiralis) Gambier advenisse, quibus continetur, ab urbe Hafnia die 7. hujus Capitulationem acceptatam, die eadem per copias Suae Majestatis Classem navalem & Metropolim Daniæ occupatam fuisse.

Altera relatione die 8. Septemb. ex arce Hafniæ data, significatur. Post 3. dierum & noctium horrendam oppugnationem Capitulationem conclusam fuisse, vi cujus Classis Daniæ, naves minores, resque omnes ad naves pertinentes nobis traditæ sunt, arx vero & Armamentarium per copias Suae Majestatis Angliæ occupatum est.

Uberiorem relationem hac de re Ephemerides Aulicæ proxime facturæ.

Acceptis his nuntiis Sua Majestas Regia Summum Classis Duce[m] (Admiralem) Gambier, & Gen. Lord Cathcart non solum per peculiare[m] Literas collaudari jussit, verum etiam eosdem novis honoribus, & dignitatibus oravit.

Nostri Ministri ex Portugallia Regem quaesivisse dicuntur, ut se declararet, quam partem amplexurus sit in eo casu, si Galli Portus ejus occupare tentaverint? ultroneam Neutralitatem ei hoc in casu concedi non posse. Si Portugallus se Gallis, & Hispanis adjunxerit, tum Angli Brasiliam, Maderam, aliasque exteras Portugalliae Provincias occupabunt, & Portus ejusdem obsidebunt. Si vero Rex Portugalliae Anglis adhaerit, & si is in Portugallia Gallorum vi resistendo non fuerit, tota Familia Regia Classe Anglica in Brasiliam devehetur, copiae auxiliares Anglicae ei dabuntur, ut Americae Provincias Hispaniae in suam potestatem titulo compensationis redigere possit, in omnem eventum Insula Madera ab Anglis occupanda dicitur; hinc non vani rumores creduntur illi, qui spargunt, Classem unam, quae in Portibus nostris haerent, ad occupandam Maderam destinatam esse. — Aula nostra hoc tempore nullam excursionem Gallicam metuere videtur; hoc inde colligere licet, quod omnes fere copiae ex tribus unitis Regnis extra Regnum disponantur. Naves quoque nostrae per omnia maria mundi dispersae sunt.

*G a l l i a.*

*Parisiis 5. Octob.* Heri in Fonte Bellaqueo per Principem Imperii Cancellarium Cæsari propositi sunt Archi-Episcopus Augusto-Taurinensis, de la Tour, & Colonellus 8. Legionis equitum Girardin ut Senatores, ad deponendum Jusjurandum. (Monit.)

Dies anniversarius pugnae Jenensis die 14 hujus Parisiis celebrabitur. Omnia Theatra prius die cuique gratuito patebunt; Vespere Palatium Regium, & Hortus illuminabitur. — Eodem die absolvetur Solennitas copulationis Principis Hieronymi, in Fonte Bellaqueo, quæ quidam jam pridem celebrari debuisset, sed propter nimium æstum dilata fuit. (Idem)

D. Laforet juxta Ephemerides nostras Legatus Russicus est denominatus. Alii rumores ferunt, Principi Hohenzollern hic existenti proxime matrimonio jungendam Filiam Fratris Magni Ducis Montani.

Minister rei maritimæ ex itinere ab inspectione, & revisione litorum rediit, & ab eo tempore majore cum diligentia laboratur in adaptanda Classe Boloniensi; multæ quoque copiae ad litora dispositæ dicuntur, denique castra Bolonensia brevi tam numerosa futura, ac fuere ante 2 Annos.

*G e r m a n i a.*

Primis diebus labentis mensis Octobris apparebit Cometa, inermibus etiam oculis visibilis, qui Augustæ Vindelicorum, Stutt-

gardia, aliisque Germaniæ locis jam visus fuit. — Etiam Sæculo 18. 3. Cometæ Visibiles in Germania apparuerunt, Anno scilicet 1709. 1740 & 1769. —

Quidam Astronomus vehementem æstum, quem hac æstate experti sumus, huic Cometæ attribuit, quia per radios a Sole mutuo acceptos atque in terram demissos, communes, ac consveti radii solis audi sunt, & adhuc magis incaluere. Hinc inferri potest, eidem casui locum fuisse etiam prioribus temporibus, quotiescunque Cometa apparuit, & — &? tunc quoque bonum vinum procreari debuisset!

*Augusta Vindelicorum 2. Octob. Die 1. Octobris visus est apud nos Cometa, hesterna nocte hora 7. fuit etiam visibilis. Ipsius cauda versus terram directæ esse videtur, & ideo adhuc nunc in sua plena longitudine videri non potest. Stella ipsa in se est satis magna, non nihil debilem lucem spargens. Sæculo 18 apud nos 3. duntaxat Cometæ visibiles erant. Anno 1709. 1740 & 1769.*

*Berolino 6. Octob. Die 1. Octob. visus fuit Cometa in parte Septentrionali Libræ, non procul a Stella Virginis Nro. 734. (juxta meum marginum Catalogum) Hora vespertina 7. 57' 35" minima ejus altitudo fuit 223° 30' 43" & recessio a Septentrione 2° 47' 57" Die 2. hora 7. 44' 0" visus fuit sub 224° 36' 32" Altitudo 3° 38' 16". Die 3. & 4° fuit nubibus obductus, Hodierno vespertino tempore sereno Cælo visus fuit in parte orientali Libræ. Probabilius a sole redit, & ab eo, ac terra recedit.*

De Provinciis Anglicis in India Occidentali sequentes rumores circumferuntur: numerus Incolarum alborum est 58995 nigrorum 21967. Servorum 524205. Saccharum, quod annue in Portus Angliæ invehitur, æstimatur ad 3372495 Centenarios, qui efficiunt reditum annum 2605195 Librarum Sterling.ii, qui naves commodant, habent lucrum 1508622 Librarum Sterlingarum, Consumtio Productorum, & Manufacturarum Regni efficit 1999448. Librarum Sterlingarum, quod cum nonnullis minoribus Articulis simul facit plus quam 7000000. Librarum Sterlingarum, quos hic unicus Articulus Angliæ infert, Iovehuntur in Angliam 205014 Centenarii Fabarum Arabicarum, & evehuntur 194446 Centenarii. Insulæ prodixerunt 10472418, libras Gossypii, ex quibus in Anglicas Manuf. consumtæ sunt 10202418. libræ. Gossypium præparatum, quod ex Angliâ evehitur, efficit 7000000. Librarum Sterlingarum; maximam autem copiam Gossypii percipit Angliâ ex Colonis suis in India Occidentali sitis. Pretium rerum ex his Colonis invehit solitarum efficit 10607248. Librarum Sterlingarum. Quia vero hæc æstimatio respectu veri pretii mercium se habet ut 5. ad 8 potest igitur verum pretium ad 17000000. æstimari. Commercio has inter Insulas, & Angliam occupantur naves 650. & 14, aut 15000 Nantarum.